

- congregandis Synodis, maximum in Ecclesia detrimentum invexit, & quod Episcopus non excusatur sub prætextu parvitas, seu paupertatis Diœcesis; Ecclesiarum, & Cleri, nam quo minor est numerus, eò inexcusabilior redditur negligentia, quia facilius convocari queunt, & unica die, fatis commodè Synodus expeditur, neque excusari Episcopum infirmitate, eò quia potest Synodum congregare per aliū, ut per Vicarium generalem, eaque de causa, neque excusari absentia dixerunt *Pax Jordan. d. tit. 2. num. 39.*, *Barboja de potest. Episcopi alleg. 93. num. 3.*
- 60 Qui autem tenentur Synodo Diœcesane interesse, si negligentes fuerint, possunt ab Episcopo puniri juxta *tex. in c. quod super de major. & obedient. c. si quis autem dist. 18.*, qui autem obligentur Synodo interesse, quia non est hujus institutionis, videantur *Massobr. de Synodo c. 3. dub. 2.*, *Barboja alleg. 93.*, *Pax Jordan. elucubrat. divers. lib. 8. vol. 2. tit. 2. num. 46.*, & *seqq.*, *Trid. sess. 24. c. 2.*, & quia ex præcitato *tex. c. quod super*, colligitur, quod isti negligentes possunt puniri, vel excommunicatione, vel pœna pecuniaria, bene inferitur, quod hujusmodi negligentia erit peccatum mortale, cum sine mortali non inferatur talis censura, quæ gravissima pœna est, ac propterea non nisi pro lethali culpa decernitur *Pax Jordan. d. tit. 2. num. 71.*, ubi *num. 72.* bene limitat, nisi isti aliquo impedimento detineantur, ut infirmitatis periculi vitæ, aut sanitatis &c. ea generali regula à nobis posita *p. 1.*, ubi eos tantum dici negligentes, qui tenentur, & possunt, & tamen omitunt facere, quod tenentur, impediti autem legitime non dicuntur posse, ac propterea negligentia culpa non notantur.
- 61 Quod autem diximus, quod Episcopus omittens congregare Synodum singulo anno, negligentia notam incurrat, limitandum est, si Episcopus impedimento aliquo legitimo detineretur, ut bello, morbo Epidemix grassante, vel aliis similibus, quia impeditus non est negligens, ut dictum est supra, & notat *Pax Jordan. supra n. 39.*
- 62 Limita secundò, ubi Synodum convocare non expediret ex aliqua rationabili causa prudentis arbitrio. *Ugolin. de off. & pot. Episcopi c. 48. nu. 4.*, sicuti ex simili causa hodie non congregantur Concilia generalia

- singulo triennio, ut statuerat Concilium Constantiense, quia scilicet Pontificis arbitrio diudicatur non expedire, sicuti *Eminentissimus Palavicinus notavit in historia Concilii Trid.*, ubi quod ex difficultatibus intricabilibus præcedentiarum inter Principum Oratores, ac alios, non expediat, nisi gravissimis urgentibus causis, hodie generalia Concilia frequentare.
- 63 Confirmatur autem ex verbis *c. finalis dist. 18.*, ubi quod Episcopus censurarum incurrat in pœnam, quando suam obligationem, & munus parvipendendum crediderit, non dicitur autem parvipendere suum munus, quando judicaverit rationabilibus ex causis Synodum omittere expedire, quando autem expediat, remittitur prudentis arbitrio.
- 64 Inter cetera verò munera Episcopalia, primum fortasse locum exposceret Visitatio Civitatis, & Diœcesis, tam quo ad loca, quam quo ad personas, ut latius plura statuerunt Concilia, nempe *Triburense in c. relata*, *Tarraconense in c. Decrevimus*, *Toletanum in c. Episcopum*, *Bracarense in c. Placuit x. q. 1.*, & novissime *Trid. sess. 24. c. 3. de reform. in tantum*, ut ex visitatione prudentis regiminis ratio subsequatur, non enim potest Episcopus oves pascere, animas curare, medelam vulneribus spiritualibus applicare, corrigere, & emendationem errorum querere, utilia, ac necessaria disponere, nisi singulorum noverit status, quam cognitionem non nisi personaliter visitando, & perlustrando acquirere valet, præcipitur enim Episcopis personaliter singulas Parochias oculari inspectione, & presentia perlustrare *c. Romana*, & ibi *glos. in Vers. accedere de consibus in 6.*, *Cucob. de visit. tit. 8. num. 9.*, & ad instar Medici non poterit cuique infirmo scientificè, prudenterque infirmitatibus propriam adscribere medicinam, & oleum, nisi pulso pertentato, circumstantiis locorum, temporum, & personarum, examinatis, humorum, & complexionem exigentias, & capacitates diligenter exquirat, quod sola visitatione, sicuti in medico patet, consequi potest, *Acta Mediolan. Eccl. p. 2. tit. de instruct. Visit.*, ex Concilii autem Toletani decreto relato *in c. relata est x. q. 1.*, duo corriguntur mala, quæ iis temporibus fortè non de raro contigisse fuerunt relata, unum negligentia,

- gentia, qua Episcopi omittebant Ecclesias sibi subiectas visitare, alterum avaritia, qua exigebant expensas procurationū, sed ut beneficiati hujusmodi expensas redimerent, statuit itaque ne quis ultra exercent id cupiditatis ingenium, & ut sollicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.
- 65 Utilitatē autem, immò, & necessitatē hujus visitandi muneris, intuebitur unusquisque, si vitam S. Caroli Mediolani, verè dignissimi Archiepiscopi attentius percurrat, ubi maximè *initio lib. 2.*, ut supra etiā tactum est, dignoscere poterit, quam mortaliter ægotaret ea Civitas, & Diœcesis, ea potissimum causa, quia Pastores à pluribus annis visitationis non expleverant munus, immò videbit sanctum ipsum Episcopum personaliter visitaturū ad loca mortium, ferè innaccessibilem satis à Civitate distantia, nullis percentē laboribus, reptantem pedibus, & manibus per montium an fractus accessisse, multum profuisse, ita ut populi faterentur ab hominum memoria ad ea loca Episcopum non penetrasse, quod utinam omnes Episcopi, etiam si Eminentissima Cardinalatus præfulgeat dignitate, eundem sibi proponerent imitatione sequendum, ut cum eodem pariter diligentia, & pastoralis sollicitudinis laudibus, & corona mererentur donari.
- 66 Non dissimilem diligentiam enixè exoptari in Hispania declamat *Garzias tract. de benef. p. 3. c. 2. num. 539.*, ubi quod multa mala contingant, quia Episcopi non visitant, vel visitant solum pro forma, superficialiter, & apparenter, nec provident malis, unde *num. 540.* dicit exoptare, ut à Sancta Sede Apostolica mitterentur viri probatissimi zelo, & scientia rerum sacrarum, qui Episcopos ipsos visitarent.
- 67 Quanta ergo est utilitas ovium, & forsitan necessitas, tanto gravior erit negligentia culpa, si visitatio prætermittatur, & negligatur, & certò locus erit minis, & castigationibus à Domino per *Ezechielem c. 33.*, Pastoribus prænuntiatis, & in principio hujus articuli à nobis transscriptis.
- 68 Ne Episcopus negligentia in visitandi munere notetur, debet quam primum commodè potest, post captam possessionem suæ Ecclesie visitationem exordiri, ut sic cognoscere possit vultum ovium suarum, & indigentia præsto esse, & licet non sit præ-
- scriptum tempus, intra quod teneatur visitationem concludere, sed arbitrio ipsius Episcopi relinquatur, tamen debet ipse Episcopus discreto, & moderato temporis cursu visitationem perolvere, ut referunt per Sacram Congregationē dicendum; *Alojs. Ricc. in praxi aurea resol. 708. num. 2.*, *Barboja de potest. Episcopi alleg. 73. num. 39.*, debet enim citius quam fieri potest se expedire, ne subditos gravet in expensis, *Pax Jordan tom. 2. lib. 7. tit. 1. nu. 4.*, ubi quod *ex Trid. d. sess. 24. c. 3.* licet dicatur, quod singulis annis Episcopi visitent, & si diœcesis sit fatis ampla, ad summum intra biennium visitationem compleant, tamen non ita definitur tempus, quin discreto arbitrio remittatur.
- 69 Nec potest Episcopus recipere munera à Visitatis, nec Quisquam suorum *Trid. sess. 24. c. 3. de reform.*, alias non absolvitur nisi duplo restituto *c. 1. §. penult.*, & *c. 2. de censib.*, non obstante consuetudine, & paupertate, ut declarasse dicitur *Sacra Congregatio in vna Cajetana 16. Junii 1635.*, *Leoncil. de privilegiis pauperū privileg. 102. n. 1. & 2.*
- 70 Replicanda pariter est visitatio, toties quoties, aut utilis, aut necessaria prudentis existimaretur arbitrio, immò, & pluries in anno, si ad correctionem morum utilitas id suadet, aut alicujus Parochi negligentia, malitia, aut incitia ad id Episcopum cogat, ut colligitur, ex *c. Visitandi, c. non semel 18. q. 2.*, *Azor. p. 2. lib. 3. c. 42. q. 11. Vers. illo quoque*, *Cucob. de Visit. tit. 8. num. 116.*, *Pax Jordan. d. tit. 1. lib. 7. nu. 43.*, ubi, & Sacre Congregationis refert declarationem, ubi etiam bene notat differentiam inter causam necessariam visitandi, & voluntariam, quia si habet Episcopus causam necessariam visitandi, toties quoties visitaverit, etiam eodem anno, poterit à visitatis procuraciones exigere, si verò non habeat causam necessariam, poterit quidem propriis expensis pluries in anno visitare, non verò visitandorum expensis, *Turecremata in eod. c. non semel. 18. quest. 2.*
- 71 Non levis est negligentia Episcopi si contemnat, seu omittat, & negligat sedulo curare opus Doctrinæ Christianæ, qua pueros, aliosque baptizatos instruere non solum perutile, sed necessarium est, ibi enim articuli sanctæ fidei explicantur, quos quisque

que professione Christianus scire tenetur *D. Thom. p. 2. q. 76. art. 2. in corpore, Navarra consil. 10. de pœnit. Ugol. de irreg. c. 3. §. 2. num. 2.*, & ex quorum ignorantia multa suboriuntur mala, & æterna sequitur damnatio, qua propter *Trid. sess. 24. c. 4. ad finem* gravioribus verbis monet, ut Parochi sint in hoc munere præstando diligentiores, ita Episcopus multa diligentia curare debet, ut per Parochos hoc munus sedulo impleatur, *Barbosa de potest. Epis. alleg. 76. nu. 37.*, ita ut si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas eos compellere jubeant Episcopi, idem *Ricc. decis. Neapol. p. 1. decis. 22. articulo* Discussio refert, quemdam Parochum in eo munere negligentem fuisse suspensum ab officio suæ curæ per sex menses, ex quibus omnibus clarè colligitur quanti ponderis sit in hac materia sollicitudo adhibenda.

72 Quibus addendum est Decretum *B. Pii V. in sua const. 137. in ordine Bullario noviss. incipit (Ex debito Pastoralis officii) §. 2.*, ubi mandat Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælati, ac eorum in spiritualibus, & temporalibus Vicariis, seu officialibus generalibus, quatenus hoc opus doctrinæ Christianæ Sanctissimum, toto pectore amplectentes, aliquas Ecclesias in suis Civitatibus, & Diocesis respectivè, seu loca honesta, in quibus infantes, & pueri ad audiendam doctrinam Christianam convenire possint, deputent, & viros ad id idoneos vita, & moribus approbatos, qui diebus saltem Dominicis eosdem infantes, & pueros, ac alias personas divinæ Legis expertes in articulis Fidei, & Præceptis Sanctæ Matris Ecclesiæ instruant, confirment, & eligant, atque tot Societates, seu confraternitates, quot ad hoc tam Sanctissimum opus exercendum eis opportunè videbantur inibi auctoritate nostra erigant, & insituant &c. que sunt formalia verba Sanctissimi Pontificis; Cavendum est ergo ne Episcopi tantum, & perutile munus negligant.

73 Sicut pariter gravis culpa esset Episcopo Negligere prædicationis officium, quo evangelii veritas populis utiliter explicatur, ad quod per se tenentur Episcopi, si legitime impediti non fuerint, alioquin per viros doctos, & ad id idoneos suppleant salubriter, & si forte neglectui contemptum addant, districtè subiaceant ultioni, decrevit *Trid. sess. 5. c. 2. de reform.*, ubi, quod

hoc est præcipuum Episcoporum munus, & *sess. 24. c. 4. de reform.*

74 Ad quod videndi sunt horrendi casus duo relati per *Pax Jordan. tom. 1. suarum elucubrat. lib. 4. tit. 1. de prædicatione verbi Dei sub num. 111. Vers. Clericus quidam, & Vers. quibus concinunt*, ubi quod Sathanas visibiliter apparens dictavit Clerico prædicaturo in Synodo Provinciali plurium Episcoporum, ut suo nomine cunctis Episcopis multas gratias ageret, eo quia neglexissent insistere prædicationi verbi Dei, quia fuerunt in causa, ut multo plures eo seculo ad inferna in æternum cruciandi descenderint, quam prædictis seculis factum, seque divino coactum imperio hoc manifestasse, deinde è conspectu Clerici evanuit; refert, & *Sperellus in suo Episcopo Italicè conscripto c. 68. §. 2. in fine p. 3.*, quia propter *Greg. relatus in c. sit Rector dist. 34.*, ait, sepe namq; Rectores improvidi humanam amittere gratiã, formidantes, loqui libere recta pertimescunt, Canes muti non valentes latrare *Esajæ 56.*

75 Undè, & *Apoctolus 2. ad Timot. 4.*, ait (*Prædica verbum, instat opportunè, importunè*), & *Esajæ 58. Clama ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum, & S. Clemens Epist. 1. ad Jacobum fratrem domini col. 2.*, ait (*vos autem*) idest Episcopi (*penas dabit, si forte per vestram negligentiam, vel desidia obrepserit contagio sæva peccati*), & *Epist. 2. scribit (qua propter Pastoralis ordinis est insatigabiliter revocare, quidquid ad correctionem populorum, immò magis filiorum spiritualium cognoverit pertinere, & non cum suo periculo alienæ spei per solam negligentiam facere detrimentum.*

76 Tenetur quoque Episcopus custodire diligenter monialium clausuram juxta decretum *Trid. sess. 25. c. 5. de reform.*, in quo si negligens fuerit obtestationem divini Judicii, & interminationem maledictionis æternæ minatur idem Concilium, ex quibus pœnis potest colligi, quam gravis culpa sit hujusmodi negligentia, evitabitur autem negligentia culpa, quoties Episcopus faceret, id quod potest, habito respectu ad tempus, locum, & pertinaciam monialiũ, ut aliis citatis notavit, *Barbosa ad d. locum Trid. sub num. 11. V. sub obtestatione divinis Judicii*; quæ omnia habent locum non solum respectu clausuræ monialium, ipsi Episcopo immediatè subiectarum, cum quibus

quibus procedit auctoritate ordinaria, sed etiam respectu monialium Regularibus immediatè subiectarum, cum quibus procedit Apostolicæ Sedis auctoritate delegata, ex eodem *Trid. sess. 25. c. 5. de reform.*, & licet *Pellizarius, aliique per eum allegati de Monialibus c. 5. nu. 6.* putent, *Trid. intelligendum de monialibus immediatè Sedi Apostolicæ subiectis, non verò de subiectis regularibus immediatè, tamen Sacra Congregatio sub die 26. Maii 1640.*, relata per *Pasqualig. in addit. ad Francum de controvers. inter Episcopum, & Regulares p. 1. sub num. 29.*, declaravit etiam intelligendum de Monialibus regularibus subiectis immediatè, etiã nulla data negligentia ipsorum Superiorum Regularium, & tenor declarationis est.

77 Sacra Congregatio Concilii censuit Episcopum Colimbriensem, uti Sedis Apostolicæ Delegatum potuisse, quo ad clausuram Monasteriorum monialium Conventum, & Cellas ordinis Cisterciensis Regularibus, ejusdem ordinis subiectum visitare, etiam assumpto secum Vicario Generali, & Confessario eorundem, monialesque ipsas, in iis, quæ ad eandem clausuram pertinent examini subiicere, remotis etiam suspitione violatæ clausuræ, ac quacumque Superiorum Regularium negligentia, ipsisque inconsultis, & irrequisitis, ac insuper eidem Episcopo licuisse Rectorem Collegii dicti ordinis, ex supradicta causa inobedientem declarare in pœnam excommunicationis, ac alias comminatas incurrisse. *J. B. Panphilius. Et de Jure Cæsareo Episcopus negligens vindicare stupratores, & corruptores monialium, punitur in quinque libris auri §. penult. Auth. de Sanctis Episcopis, quæ lex uti laicalis, licet non liget Sacro Sanctos Episcopos, ostendit tamen, quam damnabilis sit eorundem Episcoporum negligentia.*

78 Tenetur etiam Episcopus examinare Puellas ingredientis monasteria antequam habitum monialium suscipiant, & antequam professionem in religione emittant, juxta *Trid. sess. 25. c. 17.*, quas explorationes vel alteram, si Episcopus negligens omittat, contra Concilium fecisse declaravit *Sacra Congregatio, relata per Barbosam de potest. Episcopi alleg. 100. num. 9.*, & *Tambur. de Jure Abbatissarum disp. 4. quæst. nu. 12.*, ubi sub num. 4. ad finem refert decisum, quod

si prior exploratio non fuerit facta, sufficit secunda, ex quibus potest colligi majoris momenti esse secundam explorationem, ejusque neglectum graviorem importare culpam.

79 Aliud omittere nequeo, quod negligentia Episcoporum in procuranda Chori disciplina multis in locis plurimum obsuit, nam omnia Jura clamant, quod omnes in Choro modestè se habeant, piè orent, psallant, ita ut Canonici non psallentes alta voce, cum cæteris in Choro canentibus mortaliter peccent, & non lucentur distributiones *Trid. sess. 24. c. 12.*, ubi late *Barbosa pluribus citatis*, attamen pluribus in locis Canonici non psallunt alta voce cum cæteris, quasi contemnentes hoc onus, & devotione, ac pietate diminuta, aut cum proximis colloquuntur, aut extranea, & aliena additi, nec attendunt ad ea que canuntur in Choro, nec adstant per modum orantis, quod consuetudine inductum dicunt, eo quia Episcopi id curare neglexerunt, ut habet *Lessus de Just. & Jure lib. 2. c. 34. dub. 33. num. 185.*, & pluribus hinc inde citatis. *Diana p. 2. tract. 12. resol. 6. ad finem*, ubi ait, quod Concilium *Trid. in hoc non fuit receptum, quia Episcopi, & alii Superiores non curarunt in hoc illud executioni mandare, sicut & alia multa, ac propterea Episcopos in hoc peccare pronuntiavit Lessus loco citato.*

80 In vestibus, aut molibus nimis, aut brevioribus de facili criminantur Clerici, si Episcopus negligat admonere, & corrigere ad quod *D. Bernardus in Apologia ad Guglielmum Abbatem colum. 7.*, notans ejus negligentiam, de hoc scribit (*Molli indumenta animi molitionem indicant, non tantum curarent corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens in culta virtutibus.*

81 Discordantes Cives, & maximè Clericos tenetur adhibita diligentia ad pacem, & concordiam trahere, in quo si negligens fuerit, peccabit mortaliter, licet in aliis esset tantum veniale, ratio satis patens est, quia Episcopus est caput, de quo dicitur *ad Ephef. 4. solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, si autem in membris alicujus corporis fiat dissonantia, seu contumacialis infirmitas, ad caput spectat vigilare, ut unitati, paci, & sanitati restituantur; *Felin. in c. 1. nu. 5. de tregua, & pace. Genuens in ma.*